



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Clericis non residentibus. Consilium CCXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

in Ecclesia Morinensi, proportionabiliter servaretur: nam si vetus illa leparatio distributionum a grosso præbendæ retinenda esset, iam duriore loco constitueretur Episcopus; quia ipsius mensæ unita tantum sunt bona & proventus trium illarum præbendarum; * quorum bonorum & proventuum appellatione nemo dicit contineri distributiones quotidianas, si hæc consensu omnium in unam massam non admittatur: cum quotidianæ distributiones planè manuales sint & ratione interessentia corporalis in divinis officiis quotidie dentur, *Cardin. Zabarella cons. 53. Vico quod isle, 10. Bap. Ferret. consil. 182. Quod modernus; ideoque extra corpus bonorum, proventuum, seu fructuum beneficij sint, nec in valore ipsius computentur, Oldrad. cons. 118. Ex virtute, vel in c. Advices nu. 34. de rescript. Paul. Paris. cons. 32. Licet regulariter nu. 6. & seq. & consil. 33. nu. 4. & seq. vol. 4.* Itaque respectu dictarum trium suppressarum & mensæ Episcopali applicatarum præbendarum, nihil plus juris potest Episcopus prætere; quia ratione illarum non est Canonicus, sed tantum ratione hujus, quæ illi ex decem de novo erectis Canonicatibus attributa est, eo fine, ut esset Canonicus Capitularis: qui cum sit tantum simplex, jure plurium in distributionibus censi non potest. Quæ ratio admodum stringit, & Episcopum plus in distributionibus prætere posse non patitur.

De Clericis non residentibus.

SYMMARIUM.

Distributio fructuum inter Canonicos.

1. Residentia fieri potest sanæ anno gratia aut domus mortuaria.
2. Distributiones deficientium quibus cedant.
3. Accrescendi ubi obvenit primo re & verbis conjuncti.
4. Distributio fructuum & emolumentorum quomodo fiat inter Canonicos.
5. Accessio non est sublatio principali.
6. Distributiones quotidiana præstantur absentibus in servitio Episcopi.

CONSILIUM CCXII.

B VILIA Apostolica, per quam extrema perfectio erectioni novi Episcopatus Namurcensis imponitur, inter alia continet: quod ut Episcopus Namurcensis Ecclesiam suam Cathedralē personis eruditis ad jurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munera Ecclesiastica obeunda, idoneis debite instructam jugiterque decoratam habeat, Decanatum & tredecim Canonicatus & totidem præbendas, ac omnia & singula alia dignitatis officia Ecclesiæ S. Petri arcis Namurcensis, cum primum illa per celum vel decessum vacare contingeret, perpetuo essent suppressa & extincta: & præterea statuit & ordinavit Pontifex, quod ex omnibus Canonicatibus & præbendis Ecclesiæ S. Albani Namurcensis decem, quos primo per cessum vel decessum vacare contingeret, ita perpetuo affecti remanerent, quod Episcopus Namurcensis unum & unam omnium primo vacantes tamquam mensæ Episcopali perpetuo unitos obtineret: reliqui vero novem Canonicatus & præbendæ præ-

dicti, tribus Magistris vel Licentiatu in Theologia, tribus Doctoribus Decretorum, seu in ea Licentiatu, ac tribus alijs nobilibus eius diocesis etiam in iure vel theologia graduatis, in perpetuum concedi & assignari deberent. Et quia fructus, redditus, & proventus dictæ mensæ Episcopalis Namurcensis, nec non novem prædictorum Canonicatum & præbendarum S. Albani, sic ut præmittitur affectorum, tenuiores erant, quàm conveniebat pro commoda sustentatione unius Episcopi & virorum Doctorum ac gravium, qui munera illis injuncta obire commodè possent, eidem prædictæ mensæ Episcopali trium; præfatis vero novem Canonicatibus & præbendis graduatis, uti etiam præmittitur, affectis, reliquorum decem Canonicatum & præbendarum suppressorum, fructus & emolumenta, per singulos novem Canonicos graduatos prædictos æquis portionibus dividenda, perpetuo applicavit & appropriavit. Inter alia quoque ordinavit, quod quoniam impia hæreticorum studia viros doctos ab Ecclesijs suis abesse non patiuntur, si Canonici graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros præbendæ suæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant. His constitutis in progressu temporis primo vacante Canonicatu in Ecclesia Namurcensi mensæ Episcopali relicto, tres alij proximè vacantes secundum præscriptum ordinem in Bulla tribus graduatis collati sunt; quorum unus tantum residet: alij duo ideo non resident, quod ex consuetudine seu statuto Capituli, aliquo ex Canonicis decedente, primi anni sic vacantis Canonicatus fructus cedant domui mortuariæ decedentis; secundi vero cedant ejusdem Ecclesiæ fabricæ.

Quæritur, an propter horum duorum absentium Canonicorum, aut etiam plurium, cum omnes affecti Canonicatus & præbendæ per occurrentes primas vacationes collati erunt, fructus suppressorum Canonicatum pro portione eorundem absentium alijs, & quibus, hoc est, an solis graduatis, an verò toti Capitulo accrescant? Quid item statuendum sit de fructibus dictorum suppressorum Canonicatum in difformitate vacationis eorundem, & vacationis dictorum novem affectorum; si scilicet prius plures suppressi quàm affecti vacent; item an cum ex graduatis aliqua ex causa in dicta Bulla comprehensa legitime abfuerint, puta ab Episcopo vel Capitulo ad visitationem missi, iidem sic absentes in aliorum graduatorum absentium ex non permessa causa fructibus, qui ob eandem absentiam committuntur, cum alijs graduatis participabunt? an vero sic commissi fructus ad solos personaliter presentes seu residentes pertinebunt?

In prima quæstione dubium non est, quin commissio, & juri accrescendi locus sit; cum Pontificiæ Bullæ verba ea in parte sint aperta, hæc scilicet, *fructus illius anni amittant & Capitulo cedant.* Neque quicquam ad excusationem facit, quod horum duorum Canonicorum affecti Canonicatus & præbendæ nondum liberi sint, propterea quod durante primo biennio domus mortuaria & fabrica illorum fructus auferant: nam id impedimen-

tum nullum facit residentiae, c. *Dilectus* De praben. c. cum M. ferrariensis de consuet. Panor. in c. statumimus De maior. & obed. vers. vel intelligitur iste textus; propter cuius continuationem & assiduitatem fructus percipiuntur, & e contra propter illius omissionem bimestrem auferuntur; ita ut ex duobus impedimentis, altero propter justam excusationem sublato, videlicet propter adhuc durans primum biennium, semper maneat vis impediendi perceptionem fructuum ex altero, propter illegitimam absentiam, l. si non lex D. de hered. instit. Certum etenim est, fructus suppressorum Canoniarum deberi & percipi propter adeptionem & possessionem affectorum, quibus per dictam Bullam suppressorum fructus, & bona applicata & appropriata fuerunt, tunc cum primum vacarunt, & graduatis collata fuerunt: sic quod nec domui mortuarie, neque etiam fabricae inde aliquid accedere poterit ratione praedicti biennij, quod respectum habet ad jus defuncti, non novi Canonici; neque inde etiam quicquid pertinere poterit ad vetus Capitulum S. Petri, propter praedictam suppressionem & extinctionem. Relinquitur ergo quod hi fructus ad affectorum Canoniarum possessores pertineant; sed propter illicitam ipsorum absentiam, quia onus, propter quod huiusmodi applicatio & appropriatio facta est, non subeunt, amittuntur.

Cui autem sic amissi cedere debeant, & in posterum post omnium affectorum Canoniarum & praebendarum collationem graduatis factam, cessuri sint, dubitabiliorem quaestionem habet. Sed paucis quamvis primo aspectu ex verbis dictae Bullae videri possit, quod lucro omnium Canoniarum Cathedralis Ecclesiae Namurcensis cedere debeant, eo quod in Bulla dictum sit, amittantur & Capitulo cedant, cum Capituli appellatione contineantur quotquot de Capitulo sunt, c. pro illorum in fine de praben. quia tamen applicatio & appropriatio fructuum, qui ex suppressis Canoniaribus & praebendis percipiuntur, praecise & limitate facta est, non pro toto Capitulo, sed pro dictis mensa Episcopali, & novem graduatis; verius est, huiusmodi commissos seu amissos fructus cedere & accrescere ijs tantum Canonici dicti Capituli seu Ecclesiae, qui in eadem cum absentibus statione, & pariter qualificati sunt; ut limitata causa limitatum producat effectum, l. cancellaverat De his qui in resam. aelen. Paul. Paris. cons. 116. Circa resolutionem nu. 8. vol. 1. & quod recta via ad Canonicos ejusdem Ecclesiae non graduatos, nec ex affectis aliquem Canoniarum aut praebendam habentes, pervenire non potest, propter praetactam applicationem & appropriationem ex causa seu consequentia negligentiae seu absentiae non perveniat. ¶ Quomodo civili ratione in iure accrescendi inter haeredes aut legatarios, quod in unius persona caducum sit, aut in causam caduci recidit, non omnibus alijs haeredibus aut legatarijs accrescit, sed ijs tantum, qui verbis & re conjuncti sunt, eodemque modo non diverso succedunt, l. Maro in princ. de leg. 2. l. unica §. hoc autem & §. his ita C. de caduc. tollen. l. haeredes de hered. instit. Cum ergo graduati tantum in hac applicatione & appropriatione re & verbis

sint conjuncti; dicendum est, ad graduatos primum, quamdiu aliquis eorum residet, deferendum esse hoc lucrum fructuum, quod propter absentiam alijs graduatis auferitur.

Nec ad rem facit, quod in affectis praebendis omnes dici possint conjuncti: quia ut nihil verat, quo minus plures diversimode conjuncti sint, ita cuiusque conjunctionis consideratio per se habenda est; cum fieri possit, ut ex pluribus pariter respectu unius rei conjunctis, quidam specialem inter se conjunctionem habeant; quo casu specialis conjunctioni generali praefertur, ut regulariter per speciem generi derogatur, c. Generi De R. l. lib. 6. l. in toto D. eod. Sic quod respectu huius specialis, generalis illa conjunctio verbalis tantum sit; & semper potior sit censenda illa, quae re & verbis constituitur: ut mirum non sit, si in praesenti casu dicamus in fructibus suppressorum praefereandos esse graduatos, l. re conjuncti §. praefertur De leg. 3. Itaque quod in Bulla dicitur, quod Capitulo cedere debeant, vel referendum ad fructus affectorum Canoniarum; vel sic accipiendum, ut Capitulo quidem cedant, sed tamen distributio illorum fiat in Capitulis, quibus specialiter appropriati sunt. ¶ Ut alias quamvis absentium fructus Ecclesiae seu Capitulo applicentur, c. Cum ad hoc de cler. non resid. distribuuntur tamen & applicantur modo & forma, quibus alijs fructus inter residentes distribuuntur: ut duplicem portionem ex commissis seu amissis habeant, qui in alijs ex qualitate dignitatis vel officij certam vel majorem portionem constitutam habent; ut obvenio haec symmetriam & proportionem ad principale fervet, l. si ita scriptum §. 1. l. Clemens de hered. instit. l. Qui quadringenta ad S. C. Trebell. l. Qui quadringenta in princ. Ad leg. Falcid. Neque enim absurdum est aut inconveniens, inaequalitatem in distributione fructuum inter Canonicos constitui, propter canonicatum aut officiorum & dignitatum inaequalia onera, gloss. in c. Statumimus in verb. potiorum de maior. & obedien. quae inaequalitas facilius admittitur tunc cum praebenda sunt distinctae, ut est in proposito; hoc est cum vel omnes, vel singulae, vel aliquot ex illis certa bona deputata habent. Sanè si (quod vix unquam futurum erit) omnes graduatos abesse contingeret, propter generalem illam conjunctionem sub eodem Capitulo, etiam suppressorum Canoniarum fructus inter Canonicos possessores Canoniarum non affectorum distribuendi essent; cum tunc ipsis non oblatet specialior conjunctio graduatorum, d. §. praefertur. Et haec ad primi articuli resolutionem sufficere putamus.

Ad secundum articulum dicendum videtur, quod cum ex suppressis veteri Capitulo nihil accedere possit, quia & illud extinctum est; illiusque quod non est, nulla sit accessio, l. penult. De tur. & ration. distrals. & sublato seu extincto principali locum non habeant quae sequuntur, l. Cum principalis De reg. iuru; nihil item accedere possit Canonici Cathedralis Ecclesiae non graduatis, propter causas ad praecedentem articulum dictas: consequens & veritati magis consentaneum esse videtur, ut graduatis Canonici, qui jam ex affectis Canoniaribus unum obtinuerunt & possident, hi fructus accedant; quia accessionis symbolum,

lum, & utile initium in illis est; ob id, quod sine distinctione præbendarum omnes fructus Canoniarum S. Petri prædictis novè præbendis indivisim sint appropriati; ut qua ratione diximus ad illos pertinere absentium hos, qui iure suppressorum percipiuntur, fructus, & minime ad non graduatos Canonicos; ita quoque percipiendi jus habeant, quamdiu eorū consortio per ulteriorem vacationem affectorum alijs accedat, & cum illis partem faciant.

6. Tertij articuli resolutio non est difficilis: cum enim qui in servitio Episcopi aut Ecclesiæ occupati sunt, pro residentibus habeantur, omniaque emolumenta beneficiorum suorum perinde percipiant, ac si præsentis essent; exceptis quotidianis distributionibus, c. de catero, c. ad audientiam c. Cum ad hoc De cler. non resid. consequens est, quod ad participationem illorum fructuum, qui propter absentiam illegitimam alijs adiunguntur seu cedunt, admitti quoque debeant, & tam ratione affectorum cum omnibus, quam ratione suppressorum cum graduatis Canonicis residentibus. Neque enim debet officium, quod onus personale addert, & sine sumptu sustineri seu perfici non potest, damnum legitimæ & necessariae absentiae inferre, l. sed si quis D. Quemad. resiam aper l. 1. C. Quid. ex caus. maior. & toto tit. D. ex quib. caus. maiores &c. Nec in contrarium urget consideratio amplioris præbendæ, quæ sic affectis propter onera adijcitur: nam oneris illius consideratio non ad compensationem absentiae, sed ad sumptus, qui huiusmodi absentium nomine sustinendi sunt, & ad damnum quotidianarum distributionum relationem habet: ita ut absentia nullum damnum præter quotidianarum distributionum inferre debeat.

De Clericis non residentibus.

S V M M A R I U M.

- Fructus anni gratiæ & Fabricæ ex statuto.
 1. 5. statuta ut fructus vacantis beneficii alij cedant quam successor in beneficio, an valeant.
 2. Fructus vacantis beneficii ad quem de iure pertinent.
 3. Constitutio nova in usum non recepta non ligat.
 4. Constitutiones vales an ut Imperiales in provinciis publicari debeant.
 6. Statuta in usum non recepta non ligant.

CONSILIUM CCXIII.

Q V A S T I O est ab antiquo in utramque partem disputata, an valeant & tolerari debeant consuetudines ac statuta Ecclesiarum, per quæ vacantium beneficiorum fructus & emolumenta pro primo anno à die vacationis permittuntur hæredibus & successoribus, vel ex testamento, vel ab intestato, illius beneficiarii, per cujus mortem beneficium vacat; quem annum in usu vocant annum gratiæ, & pro secundo anno fabricæ, vel saltem alteri usui Ecclesiæ attribuantur; sic quod successor in beneficio fructibus pro toto primo biennio carere debeat? † Extat ea de re elegans 10-annis Andree disputatio, in novella ad c. Nemo potest Dereg. iur. lib. 6. qui re in utramque partem agitata in eo perisistit, huiusmodi consuetudinem ac

statutum irrationabilitatem considerabilem non continere, ideoque valere, & in usu sine peccato ac reprehensione retineri posse: præsertim quod extent adhuc aliquot decretales constitutiones, c. Si propter in fine De rescript. lib. 6. & in c. Præsentis §. porro de off. ordin. lib. 6. quæ ejus generis statuta & consuetudines si non expresse & dispositivè, saltem tacitè & per rerum consequentias non obsecrè approbent, ipsque in dabo per quamcumque concessionem vel gratiam Papalem non derogatum censentur, dum non expresse & specificè huiusmodi derogatio facta invenitur.

Ceterum quoniam huiusmodi statuta & consuetudines, si non manifestè iniquitatis, saltem duritiei aliquid, respectu successoris, in beneficio continent; tum quod hereditariæ successionis, quæ in beneficijs Ecclesiasticis improbat, c. 1. de præbendis c. Ex transmissa in fin. de filijs presbyt. aliquam speciem contineant; tum quod regulariter constitutum sit fructus beneficiorum, ac bona decedentis clerici beneficiati pertinere ad successorem in beneficio, non ad successorem ex testamento vel ab intestato, d. c. Præsentis & ibi gloss. in v. reservari c. ult. de peccul. cler. c. Cum in officijs De testam. & absurdum videatur fructus beneficii deferri ad eos, qui beneficii possessores aut deservitores non sunt, illosque eripere ei, qui beneficio deservit, seu deservire paratus est; per extravagantiè decretalem constitutionem Ioannis vicelimi secundi Papæ, in extravaganti suscepti de elect. ad moderationem aliquam redacta & restricta sunt huiusmodi decreta & consuetudines; ut per illa non omnes primi aut secundi anni fructus hæredi defuncti beneficiarii aut fabricæ relinquuntur, & nihil interea durante hoc anno vel biennio successor in beneficio ex fructibus illius attribuat; sed aliqua saltem ex fructibus primi & secundi anni portio detrahatur, & successor in beneficio assignetur, secundum distinctionem in dicta extravagante constitutione comprehensam.

Quæ tamen constitutione non obstante, nec passim in usu & observatione, præsertim in his ultramontanis Regionibus recepta, & sic aliquo modo non usu seu deluetudine abrogata, c. In ista q. distinct. gloss. in verb. frangere in fine in c. 1. De treuga & pace; manserunt in usu & observatione vetus illa consuetudo, & in conformitate illius Capitulorum & Ecclesiarum composita statuta, de omnibus fructibus primi & secundi anni hæredi defuncti, & fabricæ sine aliqua detractioe ad commodum successoris in beneficio explicandis; ut ipsa rei experientia manifestum facit, & ex plurium Doctorum responsis seu consilijs deprehendere licet, Oldrad. consil. 112. statutum factum & cons. 140. In ecclesia, Freder. de Sena consil. 246. De iure communis, Castren. consil. 116. In questione nr. 3. vol. 2. Rota decis. 269. alias 2. sub. tit. de privileg. in antiq. Sed hanc sic receptam & inveteratam consuetudinem, & ejus generis statuta, atque etiam privilegia quorumcumque majorum & minorum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ aut alio quovis præsidio munita, etiam supra hominū memoriam & longissimo ac quancumque tempore observata, per quæ primi vel secundi anni fructus alijs certis personis attribuntur, Pius Papa

Quia-